9

MEDICA DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

HYDROPE ASCITE.

QUAM

Directore Jhovah-Elohim,

Ex Authoritate Rectoris Magnifici

D. FRIDERICI SPANHEMII, Viri summi, S.S. Theol. Doct. ejusdemq; Facultatis in Illustri Bat. Acad. Profess. excellentissimi & Eccl. Gall. Past. fidelissimi,

Nec non Amplissimi Senatus Academici Consensu & celeberrimæ Facultatis MEDICÆ decreto,

Pro summis in Arte Medica honoribus & Privilegiis Doctoratus ritè consequendis,

Publico Doctorum examini subjiciet

DANIEL DE BUSCH, Mindanus Westphalus.

Ad diem 28. Novembr. loco horisque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,

Ex Officinâ BONAVENTURÆ & ABRAHAMI ELSEVIR. Academ. Typograph.

cIↄ Iↄ c XLVII.

בשם שמים

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
HYDROPE ASCITE.

THESIS I.

HYDROPS παρὰ τὸ ὕδωρ, i. e. formaliter mobilitas ϗ ὤψ patefactorium seu medium quo quid facultati cognoscenti patescit & innotescit: Ast hîc materialiter notat rei mobilis in corpore humano aspectum, sive res ea sit flatus sive humor isque vel crassus tenuisve, quam insimul vocis cognata & etymologica ceu sunt ὕδερος, ὑδερόπωσις, ὑδερίασις, ὑδερώδης ϗ ὑδερικὴς διάθεσις,&c. Et Synonymica ceu sunt aqua inter-subtercus, inter-subtercutem, affectus hydropicus, tumor aquosus, affectio serosa, aquæ abundantia, seri collectio, &c. Germ. die Wassersucht/ Belgic. simpliciter dat Water ad unum dico omnia connotant.

II.

Hydropis latè sic dicti consideratio est bifaria: altera abstracta in generalissima sua ratione & natura; altera concreta subjecto suo inhæsionis, causarum, qualitatum modorumque varietatibus, variisque materialibus conditionibus determinata, & ea vicissim gemina vel μετὰ προσθήκης denominatione affectæ partis annexa, ceu hydrocephalus, hydrops pectoris, gutturis, uteri, manuum, pedum, &c. Vel simpliciter denominatione non à parte, sed vel à causa vel tertio convenientiæ alicujus rei desumpta ut leucophlegmatia à phlegmate albo, tympanites, Ascites à convenientia cum tympano & utre in prominentia extensa vel à flatu seu aqua.

III.

Cæterum quum de distinctis hisce speciebus nonnisi distinctè agendum, in frequentissimæ, adprimè adæquatæ & aliàs κατ' ἐξοχὴν voce hydropis dici consuetæ speciei Ascites naturam hîc ulterius inquiram, ab ejus igitur origine origine facta, quam ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ esse vulgò constat, ἀσκὸς verò in genere notat quodvis ex se arcibile quid continens, sive id sit dolium, seu folliculus seu uter. At hîc abdominis cavitatem aquoso salso humore quem ex se arcere potest refertam, eoque differentiis modisque tumorum omnigenis tam à flatibus quamà substantia solida sicca humidave contradistinctum quid denotat, & sic hydrops abdominis humidus ad differentiam sicci Hippocrati dicti dici potest.

IV. Genus

IV.

Genus proximum Afcites eft tumor, quem forma fpecifica à proprio fubjecto, caufa continente & objecto, quod fit abdominis ex fero ibidem vel ob vaforum vel vifcerum fejunctim vel junctim factam anguftiam vel ob eorundem folutam unitatem vel ut plurimum etiam ob partium præcipuè principalium intemperiem aliquam collectus, determinando, à cæteris tumorum generibus difcernit.

V.

Proxima ergo & Continens Afcites caufa quæ continenter dat effe eft ferum quod Galenus falfam ferofam humiditatem dicit ex efculentorum & potulentorum aquofitate & falfugine conftantem, prout eft fudoris, urinæ, lacrimarum communis materia ac determinatum humorum alimentariorum per vafa ac vifcera maxima & minima vectorium.

VI.

Inter antecedentes colluviei hujus ferofæ caufas facilè primas tenet vaforum & vifcerum anguftia quovis modo facta, five ea fit obftructio in vafis à craffis vifcidis, copiofis vel etiam tartareis fœculentis humoribus, five fiat in iis ob obftructiones vifcerum quæ tranfeunt, ob eorundem tumores fcirrhofos phlegmonodēs, œdematofos, &c. Quam compreffionem fi dicere libet, licet, hifce anguftiæ modis & illos annumerandos puto, cum vel meatus aliquis quavis de caufa conftipetur, vel poft vulnera ulcerave latera meatus coalefcant, vel calore feu frigore nimio aliave vi ftiptica meatus contrahantur, hi modi omnes cum partim per fe partim ut conditiones fine quibus non ad hydropem conftituendum concurrere poffunt, meritò anguftiæ voce hîc defignentur, quæ caufa eft adeo multa, ut in omni ferè hydrope afcite ejus veftigium fit videre, idque vel ideo quia fero liberè ad renes & veficam elabente afciten oriri poffe videatur ἁπλῶς ἀδυνατον.

VII.

Attamen præter hanc anguftiam vaforum vifcerumque & intemperies aliqua præcipuè vifcerum principum vel imbecillior vel calidior ad afciten facit, vel humores obftructivos meatuum, vaforum vifcerumque caufando, vel feri congeriem, attenuando, liquando & fundendo liquores, coacervando, & caufa materialis diæta aquofior feu ratio victus humidior, quæ exceffu hydropen fœpè inducit, ac defectu eundem fœpius tollit, & folutio tandem continui in conceptaculis quibufvis quavis de caufa erofis exefis feu ruptis vel in partibus aliis alia caufa interna feu externa ut ulcere vulnere, &c. Solutis ferumque in abdomen exonerantibus.

VIII.

Finis cui ſeu ſubjectum aſcites imus eſt venter, ſeu ſpatium ventriculo & veſica terminatum, non tamen preciſè ſolum ſed cum extenſione ſœpè circumquaque pro ipſius ſeri incremento & decremento, fertur enim modo catarrhopῶs ſuo pondere in ſcrotum, femora, genua, pedes, modo ex hiſce in abdomen, modo anarrhopῶs in pectoris penetralia in ipſam uſque vitæ fontem, imò ſœpius circumcircajacentia permeando viſcera mirum in modum ſibi coextendit. Subjectum vero cauſarum modo vaſa modo viſcera, modo utraque ſunt.

IX.

Ductus fluxilis hujus ſeri per quos in cavitatem abdominis illabitur Hipp. l. 1. de Morb. Mulier. S. V. dicit venas, ubi ait lien ranis & ſpongiæ ſimilis aquam ex ventre adſe rapit, quâ in tumorem ſublatus & oppletus per venas in corpus transmittit præcipuè in omentum, &c. & intelligit omnes venæ portæ propagines in corpus imum, præſertim omentum ſparſas, ceu ſunt venæ ſplenicæ, epiploicæ, gaſtro epiploicæ lacteæ, meſentericæ, rami arteriæ cœliacæ & meſentericæ quia hæ omnes in corpus imum terminantes ſerum in id deponere poſſunt, quibus tamen, quum ſerum commune & arterioſi, & venoſi ſanguinis vehiculum & in arteriis calidius, tenuius, fluxilius, & alias præſertim tenuiſſimo huic ſero totum corpus ξύῤῥουν καὶ ξύμπνουν ut ex ἐκκρίσεων & μεταστάσεων humorum patet, arterias præſertim eas accenſendas cenſeo, quæ vel immediatè vel mediatè per ἀναστομώσεις ſuas in abdominis cavitatem ſerum exonerare queunt.

X.

Modum extravaſandi quod concernit, non eſt is uniformis ſed pro varietate cauſarum antecedentium, continentis & partium affectarum varius, aliquando enim ſerum in vaſis citra vel ultra epar aut lienem copioſius per ἀναστόμωσιν oſculis vaſorum apertis, aliquando tunicis eorum rarefactis per διαπήδησιν, ſæpè etiam tunicis vel membranulis vaſorum ſeu viſcerum eroſis exeſis aliiſve modis ruptis per Διαίρεσιν in affectatum regurgitat locum, idque vel lentè vel ἐξαπίνης derepentè.

XI.

Actionum læſarum tam naturalium quam animalium in aſcite ſequela eſt ſatis frequens, cum enim ejus focus ſit primario officina nutritionis, hinc nutricis facultatis actiones tam communes quam propriæ ſive per ſe ſive per accidens primò vel imminuuntur, abolentur vel depravantur, Chymus, ſanguis & ejus excrementa variè mu-

tantur,

tantur, quæ excerni oportebat retinentur & in vafis & in vifceribus, hinc & fcaturigo veficularum afciticarum hydatidum, quas ab extravafato intra parenchymatum fubftantiam fero in modum generationis bullarum quafi exiftere verifimile eft, membranulis enim vifcerum folutis non parum feri copiam adaugent, refpiratio denique fit difficilior, pulfus crebrior & minor, motus multifariam affligitur.

XII.

Afcites ergo eft tumor abdominis ab aquofo falfuginofo humore ob vaforum vel vifcerum anguftiam, vel intemperiem debiliorem feu calidiorem in vafis reftagnante vel ob folutionem continui in cavitatem abdominis delabente collectus, id diftendens actionefque præcipue nutritionis lædens.

XIII.

Specierum & modorum hydropis afcitæ differentias alias fuppeditat varietas caufarum collectionis, alias diverfitas ratione qualitatum caufæ continentis, alias duratio, quantitas, modus generationis alias, fic alius afcites eft ab obftructione hujus vel illius vafis, hujus vel illius vifceris, alius à robore partis vel imbecilliore feu fortiori, alius à folutione continui, fic alius afcites pallidus, citrinus luteus, viridis, &c. alius imminens, incipiens & confirmatus, lentus feu fucceffivus, & fubitaneus alius, &c.

XIV.

Signa funt vel Diagnoftica, pathognomonica vel prognoftica.

XV.

Diagnoftica tam imminentis ac præfentis Afcitæ funt, paulatina intumefcentia vel infimi ventris tendens ad femora & pedes vel contra pedum ad abdomen. Tenfionis hypochondriorum fenfilis gravitas, & gravativa fenfilitas. Incipiens cachexia & color faciei morbificus ex læfo vifcere. Excretio urinæ indies minus refpondens copiæ potus. Extenuatio partium fuperiorum, inferiorum vero indies major extenfio. Perceptio manifefta fluctuantis & murmurantis aquæ, in mutatione decubitus alterius in alterum latus & hinc fequacitas, feu tendentia tumoris in idem latus. Difpnœa quæ fæpè cum Orthopnœâ ob gravitatem ponderis in fupino decubitu diaphragmati incumbentis, fitis inextinguibilis adeo fæpe ut quo plus fint potæ plus fitiantur aquæ, cum febri lentâ. Fœtidus odos. Læfio actionum præcipuè naturalium varia.

XVI.

Pathognomonica ob cognationem cum diagnofticis ex iis conftr ui poffunt.

XVII. Cau-

XVII.

Cauſarum vero ſigna quia non tam prognoſeos quam curationis ergo huc revocantur, omnino accuratius examinanda, quò ſciamus à quonam obſtructionis modo hujus vaſis vel viſceris, ſerum cumuletur, cujus ſigna ſunt, excrementorum paucitas, craſſities, ſiccitas, conſuetæ evacuationis ſuppreſſiones, diſtributio chyli infelix, nutritio abolita vel imminuta, maraſmus tacitus, excretorum variæ ſpecies, tenſio hypochondriorũ, eum renitentia tactus, inæqualitas, proprietas doloris, cachexia peculiaris, à cujus vaſis ſeu partis & cauſæ ſolventis ſolutione, id itidem excretorum peculiares ſpecies & qualitates, excernendi modus, ipſius aſcites ortus ſucceſſivus vel ſubitaneus, calculoſa diſpoſitio & cætera partis affectæ peculiaria indicabunt ſigna, à qua tandem & cujus partis intemperie frigidiore calidioreve ex antecedentibus potu ingurgitato vel vini vel cereviſiæ vel aquæ frigido vel calido, diæta frigidiore ſeu calidiore, alimentorum vel condimentorum vel medicamentorum aliarumve rerum nonnaturalium & conſequentibus Symptomatis conſtabit.

XVIII.

Prognoſtica. 1. aſcites periculoſior eſt anaſarca cæteris paribus. 2. Aſcites cum gravioribus ſymptomatis tam pathognomonicis ac ſupervenientibus ferè deſperatus eſt. 3. Aſcites ex obſtructione vaſorum facilior curatu quam ex obſtructione viſcerum, & ex duritie lienis facilior quam ex duritie epatis. 4. Iuvenes præ invalidis ſenioribus faciliores curatu, etſi ſenes melius ferant inediam. Quo quis ſitis impatientior eo infelicior, hinc ſervus libero felicior quia curatu facilior. Aſcites ex morbo acuto quo acutior hoc ad mortem certior. Aſcites ex ſolutione continui ut plurimum incurabilis.

XIX.

Indicationem aliam vires, aliam cauſa continens, continentis cauſæ aliam monſtrant.

XX.

Virium utpote ſummè conſervandarum indicationi ſatisfacit diæta, quæ in ſex rerum nonnaturalium adminiſtratione ita dirigatur ne ſero & aſcitæ inde ullum incrementum accedere queat, ſed potius exſiccetur & evaneſcat, id quod fiet ſi quam maximè ſicca inſtituatur juxta Hippocrat. l. de rat. vict. in morb. acut. ſect. IV. hydropicus ſicca edat & acria, & quam pauciſſimo utatur potu, quia hac victus ratione plurimam reddat urinam & maximè viribus valeat, & l. de affect. ait omnino ea victus ratio ſervetur qua corpus gracilius & tenuius

reddatur,

reddatur, quia igitur ſola abſtinentia permulti aſcitici liberati, & ſummum ſæpè remediũ remedio nullo uti, diæta hîc ſit parcior, non tamen tenuior ſed mediocris & æqualis, aer ſubcalidior, ſiccior ſi non hyeme ſit talis talis arte fiat, cibus ſit aridior, ſucciplenus, medicinalis, panem vult Hipp. biſcoctum ſeu panes calidos vino nigro & oleo inctinctos & potus abſtinentiam l. de ration. vict. in morb. acut. ſect. IV. Carnes aſſæ potius ſint quam elixæ, macilentæ potius quam pingues, aromatis calidis ſiccis conditæ, juſculorum uſus ſit ſummoperè parcus, potus ſit vinum medicatum, diureticum, tenue, ſeu cereviſia aperientibus roborantibus medicata, uſus tantum ſit ad neceſſariam ſuſtentationem, utilis hic fames quia exiccat, Hipp. ſect. VII. §. 59. Motus ſit pro virili quiete crebrior, crebriores ſomno vigiliæ, alvus lubrica, urina copioſior, animus tranquillus quia εὐθυμία ſemper laudabilis.

XXI.

Cauſæ continentis toto quaſi genere, quantitate, qualitate, motu & loco hîc peccantis indicationi ſatisfit omnimoda eradicatione, cujus duplĩcem methodus ſuggerit modum ſenſilem & inſenſilem, ille peragitur trifariam, per vomitum, per alvum, vel & per vomitum & alvum vel nec per vomitum & alvum ſed per peripheriam totius in quo convenit cum modo inſenſili, differt tamen καὶ ἧττον ἢ μᾶλλον, hiſce igitur rationibus ſentina hæc aſcitica funditus eſt exhaurienda, & id per media modis hiſce convenientia, de quibus in genere prænotandum iis diu eſſe inſiſtendum, quia morbus hic chronicus, ea eſſe mutanda, ne natura aſſueſcat, nec ſint vehementiora ſed primò mitiora tandem fortiora, nec aquoſiora aquam ne adaugeant, præſtat ergo eſſe ſicciora quorum hydragogorum pharmacorum tam ſimplicium quam compoſitorum apud practicos vel aliquot myriades reperire eſt, quas minutatim huc apponere non eſt operæ pretium, ſed ſatius ex hiſce optima & maxime appropriata quæque & vomitoria & catartica & diuretica & diaphoretica ſeligere, & ea ritè præparata methodicè & cum judicio expurgando huic ſero applicare, accurata ſemper habita virium ratione ut quales ſint, ſi non per roborantia augeri poſſint. Certè conſerventur, id quod fiet, ſi uſum pharmacorum cum εὐφορίᾳ ferant. Hipp. l. de rat. vict. in morb. acut. ſect. IV. inſignem tribuit hic laudem diureticis & diaphoreticis, ajens optimum eſt autem ſi ad urinas & ſudores ægrum adducas & levi utaris frictione, ut ne habitum efficias denſiorem, &c. Et ſi hiſce parum proficiatur ſero magis magiſque brevi increſcente idem l. de affection. ſect. V.

hoc

hoc dat consilium, si neque medicamentis, inquit, neque victus ratione auxilium sentiat, ut neque venter emolliatur, sectione facta aquam educito, fit autem hæc sectio vel juxta umbilicum, vel retro juxta ilia, &c. de quo παρακεντήσεως ἐγχειρήματι, ubi commodius in ventre imo an vero in femoribus seu pedibus, an per ἐπίκεντρον, quando & quantum instituenda sit consulantur practici.

XXII.

Causarum denique antecedentium indicatio in curatione potissima itidem totalis est evacuationis: in infinitum enim intactâ ipsa scaturigine aquæ aquam evacuaremus, in causam proin collectionis seri quam accuratè inquirendum num ea obstructio vasorum & quanta ut ejus contumacitati majori minorive majora minorave incidentia, attenuantia & deobstruentia adaptemus, num viscerum hepatis lienisve scirrhosi tumores ut iis itidem convenientibus emollientibus rarefacientibus dissolventibus & discutientibus opportunè succurramus, & denique num ab intemperie seu roboris partis alicujus intensione seu remissione cui pro majori minorive à nativo robore recessu per alterantia, roborantia appropriata medendum, quo citius hoc jucundius & tutius.

COROLLARIA.

I.

Omnis ascites est flatulentus ut omnis tympanites aquosus.

II.

Omnem ascitem præcedere cachexiam οὐκ ἔστι καθ' ὅλου.

III.

Omnem ascitem esse vel per essentiam vel consensum ob simplicem impossibilitatem mutationis, Chyli in serum a frigido hepate. Neg.

FINIS.